



**B**erchtoldus filius fuit Conradi aut eius fratris Berchtoldi quarti (eius nominis) ducis Zeringensis, qui arcem Brisacensem, atq; urbes Villingam, Friburgum Heluetiorum, & Friburgum Brisgauria edificarat. Ab eo pater Berchtoldus iunior in omnibus uirtutibus educatus fuit. Propterea patre mortuo dux Zeringensis & Burgundia electus fuit, anno 1185. In ea administratione iustitiam coluit, atq; equa lance omnibus iudicium dixit. Potentia enim & opibus reliquos principes longe superabat. Itaq; factum ut ab electoribus anno 1200 contra Philippum Cæsarem eligeretur. Verum Berchtoldus sua sorte contentus, eam electionem respue-

bat, atq; Philippo pacis amore cedebat. Cum autem iustitiam amaret, atq; nobilium rapinas & tyrannidem erga subditos graviter puniret, in magnum eorum odium incidit, qui noctesq; diesq; cogitare ceperant quare ratione potentem eam ducum Zeringensium familiam his in locis extirparent. Itaq; primo uxori eius potionem medicam exhibentes, eam sterilem reddiderunt. Postea quoq; filios eius adhuc pueros existentes, ueneno sustulerunt, quorum corpora adhuc Solodori sepulta conseruantur. Sunt aliqui qui fatentur matrem ipsam à nobilibus persuasam parricidium commisisse. Unde etiam caput eius decollatum ibidem iuxta filios ostenditur. Lex etiam Solodori lata, ne post hac mater liberorum hæreditatem adeat.